

urbem Jerichuntinam, in qua habitabat, ab Hebræis capiendam et vastandam, prius eorum gratiam sibi comparavit, ut immunis esset a clade cum omni domo sua ejusque securitati; signum, prout conventum erat, funiculum coccineum demisit per fenestram statim postquam discessere Hebræorum legati, ibique pendulum reliquit, quoad Hebræi occuparent et intrarent hosti manu urbem, uti colligitur ex s. textu, Jos. II. ubi dicitur: *Dimittensque eos ut pergerent, appendit funiculum coccineum in fenestra, et docet ibi Lyranus, rationem afferens: Ne oblivioni daretur, inquit, et ut hoc exploratores viderent antequam recederent.* Similiter ergo nos, cum vel a longe videmus aut metuimus plagam aliquam divinam, non expectemus, donec ea nos occupet, et a mente dejiciat, ita ut nesciamus, quid nobis agendum sit. Sed potius prævenientes *funiculum coccineum*, id est, signum gratiæ et remissionis, penitentiam animæ nostræ apprehendamus, aliaque afflictionis et satisfactionis opera, ita ut contritionem saltem nunquam dimittamus, sed dicamus cum Davide: *Iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper.* Gabaonitæ idipsum docent, qui nequaquam expectarunt, donec Hebræi venirent contra se armati, sed obviam facti supplices assumptis vestibibus attritis et panibus induratis pacem cum eis pacti sunt, quam postea non obtinuisent, sed cum aliis nationibus extincti fuissent. Similem processionem instituamus nos ad Ænem in jejunio et fletu et planctu.

IV. Docet magnam liberorum curam habere, tum pro salute eorum corporali, tum multo magis pro spirituali. Ecce enim regulus, quam sollicitus pater, non mittit ad Christum famulos, sed ipsemet eum adit, itinere non modico, et salutem filio quærit: deinde, rogat instanter: *Domine, descende priusquam moriatur filius meus*: denique, salutem ejus spirituales procurat, dum secum eum credere facit: ergo et parentes solliciti snt. Præno, de naturali filiorum vita, ut ne destituti necessariis ad vitam tuendam, passim discurrere famelici, mendicare et tandem furari cogantur. Respicite volatilia cæli, quam sollicita sint pro vita et victu pullorum, v. g. gallinas, hirundines, passeris, ciconias. Gallina pullos suos congregat sub alas, pro quibus contra milvum, contra canes, contra homines etiam depugnat; quibuscum infirmis et ipsa infirmatur; quibus annonam, terram scalpendo procurat; quam ubi primum naeta est eos advocat, ad idque certo vocis utitur sono, distincto ab eo quem adhibet, quando eos sub alas suas congregat, atque item ab eo, quo sibi a milvo

ut caveant, iis enuntiat. Iua etiam non parvum est gallinæ in pullos amoris signum, quod cibo, qui tum sibi tum pullis suggeritur, acriter prohibeat pullos alienos, ne suis non sufficiat. Hirundinum ac passerum matres, quando earum pulli de nido volare primum cœperint, cum strepitu eos circumvolant? Neque facile deserunt, donec tuto volare possint, vocibusque piis testantur pericula filiorum. Eadem rostro in eorum prædatores acriter depugnant; denique, ablatis pullos aut alia ratione perditos summa diligentia conquirunt, quos ubi sunt nacti, iis licet cavea conclusis cibum deferunt. Quæ omnia in oculis nostris cum sint quotidie, mirum est quomodo ad ea non attendamus. Ciconiæ pullos suos qui per ætatem nondum evolare queunt e nido, sibi que cibum providere, sollicite admodum nutriunt, et quod mirandum est, cum aliunde iis alendis cibum nancisci nequeunt, escas quas prius ederant, evomunt, atque in educandos fœtus convertunt; sunt præterea iis ad volandum imperitis duces et magistræ.

Secundo, de vita eorum civili, ut bonis artibus et honestis moribus imbuantur. Docet hoc inter aves imprimis lusciniæ, quæ instruit pullos suos in modulis formandis, versusque quos imitentur, illis tradit; cujus rei argumentum est, quod quicumque matris educatione, e nido sublatis, caruere inconcinnius canunt, idque observatum scribit Aristotel. lib. IV. de animal. cap. IX. Attendant pulli ad matrum cantilenas easque perdiscunt, licet varias et longas. Ergo et parentes curent ut instruantur filii in bonis disciplinis.

Tertio, de vita eorum spirituali, ut ne peccent et pervertantur. Docet hoc avis alia, perdix inquam, parvulos suos, quantisper per ætatem nequeunt fugere aucupem: assuefaciunt enim eos, ut supini sternant sese gleba aut fæce, velut integumento superingesto, Anton. Balingh. in zoopæd. tit. educatio. Hunc in modum doceant parentes liberos fugere aucupem imprimis tartareum, deinde socios malos et rationem vitandi peccata: instruant in doctrina et disciplina christiana vel aliis instruendos tradant. Auctor est Rhodiginus, lib. III. antiq. lect. e. XXXII. extitisse Romæ in ædibus Ascanii cardinalis psittacum, qui articulatissime continuatis perpetuo verbis christianæ veritatis symbolum pronuntiabat instar viri periti. Quod ergo psittacus didicit, hoc nesciant Christianorum liberi? Verum communiter parentes de naturali tantum vita liberorum solliciti sunt: quomodo scilicet eos alant et magna dote onerent, non de civili

et spirituali: quomodo etiam regulus initio ad sanitatem filii dumtaxat corporalem attendit, non ad spirituales. Qui vero diceretis de pictore illo, qui plurimus omnis generis coemeret colores, nunquam interim pingeret, licet sæpe foret occasio? Ad quid enim comparat sibi colores pictor? Nonne ut pingat? Similiter ad quid prodest parentibus, prædia et nummos corradere pro bono filiorum, si interim eos non curent institui bonis artibus et disciplinis? Ibi occasio pingendi est, et quidem effigiem pulcherrimam, ubi filii tibi sunt capaces disciplinæ. Si non in finem istum impendas nummos tuos, frustra tibi comparas prædia et divitias.

V. Docet procurare etiam salutem subditorum: siquidem regulus iste non sat habuit credere pro persona sua, sed quamprimum operam dedit, ut cum ipso crederet domus ejus tota. Idem etiam fecerunt, quotquot habentes familiam, perfecte ad Christum conversi sunt, uti Cornel. centurio, Act. X. Lydia purpuraria, et custos carceris, Act. XVI. Crispus archisynagogus, Act. XVIII. Impossibile enim videtur, ut qui Christum vere amat, non instiget etiam alios præsertim suos, ad amandum illum sicut ignis necessario adurit, calefacit et illuminat eos, qui sibi prope adstant, et quo propius, eo magis. Unde apostol. I. Tim. V. pro infideli habet eum, qui suos maxime domesticos ad fidem et disciplinam Christi non hortatur: *Si quis, inquit, suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior.* Infidelis enim cum non quærat salutem suam nec agnoscat, non mirum si non quærat salutem suorum. Magnæ laudis est, cum dicitur, paterfamilias est pius, justus, quietus, beneficus cum omni domo sua: uti e contra sordet, cum dicitur contrarium. Quantum etiam solatium erit bono patrifamilias in articulo mortis, si familiam suam ad Dei cultum adduxit? S. Greg. Thaumaturgus Neocæsareæ episcopus in extremis rogabat, quot in civitate adhuc superessent infideles; responsumque est, septemdecim: *Deo gratias, inquit, totidem erant fideles, cum episcopatum cepi, ut in brev. 17. nov.* Procuret unusquisque ut hoc vel simile verbum de suis subditis, familia, liberis, discipulis, parochianis, clientibus pronuntiare moriens possit.

VI. Docet crescere in fide et aliis virtutibus. Sic enim crevit regulus. Primo, Christum habuit pro viro sancto, vel pro magno aliquo medico, qui vel suis precibus, vel manuum impositione, vel aliis remediis nosset mederi: ideo defectum fidei reprehendit in eo Christus. Secundo, cum audivit: *Vade filius tuus vivit, credidit sermoni Christi, tamquam veri prophetæ, qui in spiritu*

cognoverit filium esse sanatum sed ope aliena. Tertio, quando agnovit eadem hora sanatum filium, qua dixit illi Jesus: *Filius tuus vivit, credidit perfecte, scilicet Christum esse Deum, qui sua virtute licet absens filium sanavit.* Et demum efficit ut cum ipso crederet domus tota. Hunc igitur in modum crescere nos decet in omnibus virtutibus, quomodo desiderant omnes crescere viribus, potentia, opibus, sapientia. Quid enim est, quod non crescat et in dies perficiatur? Crevit caput nostrum, Christus tenera in ætate, sapientia et gratia, ut testantur evangelistæ. Quis autem nescit turpe fore, si caput solum cresceret, non membra? Unde apostolus ad Eph. IV. ait: *Crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus.* Crescunt animalia non mole tantum corporis, sed astutia etiam rerumque experientia. Qui enim nescit vulpes annosas astutiores, ideoque captu difficiliore esse? Canes venaticos venationi assuetos aptiores ad venandum, quam catulos immaturos, nondum assuetos? Crescunt plantæ, unde Dominus: *Considerate lilia agri, quomodo crescunt.* Denique, crescunt anni nostri, crescunt et canes. Ergo sicut ii qui crescunt, crepundia abjiciunt et nugæ pueriles aspernantur: ita nos aspernemur mundi puppas, et seria quærere ac tractare sagamus. Turpe foret senes equitare in arundine: sic turpe est adultum Christianum occupari et delectari rebus fluxis et inanibus.

*Crescamus autem per omnia, inquit apostolus: ita videlicet, ut nobiscum credat tota domus nostra interior, id est, omnes vires corporis et animæ, ita ut ex gestibus et conversatione externa omnes colligant nos esse fideles.* Deinde, etiam exterior et familia, ita ut in modestia et pietate in dies proficiat, sicque de nobis dici queat, quod sane de Christianis prophetavit Isaias, c. LXI. *Omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus.*

## CONCIO IX.

## MYSTERIA.

I. Quis fuit regulus? — II. Cur non exprimitur ejus nomen et conditio? — III. Cur reprehendit Christum regulum? — IV. Cur ad servum centurionis ire voluit Dominus, non ad filium reguli? — V. Cur quærit regulus horam sanati filii? — VI. Quid hæc historia sensu mystico?

## THEMA.

*Credidit ipse, et domus ejus tota. Joan. IV.*

Piorum vita, auditors, comœdiæ similis est.

quæ licet triste initium habet, hilarem tamen sortitur exitum: contra impiorum vita tragœdiæ instar est, quæ tametsi lætum habeat exordium, in luctum tamen desinit. Comœdiam cum piis ludere solet Deus: tragœdiam cum impiis ludere solet diabolus. Vita illius epulonis, quid nisi tragœdia fuit? *Epulabatur enim quotidie splendide et induebatur purpura*, sed ad extremum *mortuus est et sepultus in inferno*. Vita vero Lazari quid nisi comœdia fuit? Jacuit ante fores divitis, et nemo illi dabat vel de mensa micas. Sed audite finem: *Mortuus est et gestatus ab angelis in sinum Abrahamæ*. Sed quid procul imus? Recurrite mecum ad evangelium, quod audivimus ante octiduam de nuptiis filii regis. Interfuit nuptiali convivio inter alios etiam homo non vestitus nuptialiter, qui haud dubie non minus quam alii hospites opipare comedit et bibit, æque lætus ac jucundus fuit. Sed ecce vobis, inter conviviorum delicias media e turba repente abripitur et eicitur in tenebras exteriores, ubi fletus est et stridor dentium. Vicissim in hodierno evangelio prodit in scenam regulus, primo quidem angustia et mœrore plenus; siquidem filius ejus cum morte luctabatur. Hinc tota illius domus luctu et lacrymis repleta; quia conclamatus erat filius: nullum sive in medicis sive in medicinis apparuit remedium. Verum hunc mœrorem repente secutum est ingens gaudium, dum audit bonus parens: *Vade filius tuus vivit*. Hinc revixit una cum filio tota ejus domus, undique jubilus et gaudium. Atque hic est ludus, quem cum electis suis ludit in hoc mundi theatro Deus. Nos ergo comœdiam hanc spectatum venimus, omniaque accurate inspicimus.

I. Quis fuit iste regulus? Resp. incertum esse, an fuerit proprie dictus regulus seu toparcha alicujus ditionis vel urbis, an vero regius tantum minister seu palatinus. Hanc partem tenet D. Hieronymus, eo quod in textu Græco vocetur *regius*; unde Syriaca editio vertit *servum regis*. Illam persuadere videtur noster interpres, qui videtur legisse, Græco vocabulo quod regulum significat. Saltem ergo regius quidam procurator aut prorex, vel de regio sanguine fuit. Incertum quoque an Judæus fuerit, vel gentilis. Aliqui Judæum, alii gentilem: Origines proselytum credit. Judæum potius fuisse, suadere videntur Christi verba: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis*, Judæi enim *signa quærunt*. Solum hoc igitur certum de hoc regulo habemus, quod non fuerit magnus rex. Quod etiam sibi persuadeant omnes mundi reges et magnates, quia non nisi reguli et pusilli sunt coram Deo, qui omnes, velut gigas pygmæos prosternere uno

ictu potest. Ita minatur Sobnæ præposito templi superbo se asportaturum eum in Babylonem venundatum, velut gallum gallinaceum in forum: et velut pilam ejaculaturum, Isa. XXII. Nonne inflatum regem Nabuchodonosorem eiecit in silvam ad bestias? Nonne hodiernum regulum per aliquot milliaria currere ad se coegit? Hinc Zeno imperator imperio dejectus dixit: *Ludibrium Dei est homo*. Certe reguli erunt in sepulero, cum exigua urna claudentur. Unde Severus imp. urnam suo funeri paratam crebro manibus contrectans aiebat: *Tu virum capies, quem totus orbis capere non potuit*. Testatur Dio Nicænus, in ejus vita. Accedit poeta: *Mors sola fatetur quantula sint hominum corpuscula*.

II. Sed cur non exprimitur ejus nomen et conditio? Resp. ut sciamus divitias, dignitates, titulos et nomina potentum aliaque, quæ mundus suspicit et colit, apud Deum nullo loco esse, solam fidem et virtutes alias earumque sectatores locum obtinere et nominis celebritatem. Pauli eremitæ tunicam e palmæ foliis contextam præfert S. Hieronymus (in ejus vita) regum purpuris et sceptris, eamque S. Antonius tanti æstimavit, ut non nisi in summis festis indueret. In hoc etiam Antonio: « Admirabile est, inquit S. Athanasius, in ejus vita, ut hominem in extremo mundi limite constitutum et principum favor et omnis celebraret aula regalis. Nam et Constantinus Augustus et ejus liberi, Constans atque Constantius, talia cognoscentes crebro ad ipsum quasi ad patrem missis litteris obsecrabant ut reciprocis scriptis se exhilararet. At ille ejusmodi manens, qualis antequam litteræ ad eum venirent, fuerat, nec salutatione principum movebatur, et tamquam non acceptis litteris convocatis monachis aiebat: Reges sæculi ad nos miserunt epistolas. Quæ hic Christianis adhibenda admiratio est? Licet enim diversa sit dignitas, at tamen eadem nascendi et moriendi conditio est. Illa sunt omni admiratione percolenda, illa toto animi affectu retinenda sunt, quod hominibus Deus legem scripserit; quod per Filium suum propriis Ecclesiis ditavit eloquiis. Quæ monachis ratio est cum regum epistolis? Cur accipiam litteras, quibus consueta nesciam reddere salutationis obsequia? Igitur rogatus ab universis fratribus, ut Christianos reges suis litteris refrigeraret, ne scilicet per silentium ejus exasperarentur, ad susceptas litteras convenientia conscripsit. Laudavit primum quod Christum colerent, deinde ad salutaria persuasit, ne magnam putarent regiam potestatem, ut præsentis carnis imperio tumentes, se homines esse nescirent, et a Christo judicandos obliviscerentur.

Ad postremum clementiæ erga subjectos et justitiæ, curæ quoque inopum admonuit: atque unum sempiternum esse regem omnium sæculorum, Christum Jesum, epistolis testatus est. His princeps susceptis, vehementissime lætabatur, etc. »

Discamus hinc Christiani quæ magna coram Deo, et quæ vilia ac nulla sint. Magni sane erimus, si ea quæ mundi magna æstimat, contempserimus, juxta id Deut. XI. *Omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit*. Qua vero ratione calcabimus mundi regna? Cum ea velut inania et fluxa spreverimus, ut fecit Antonius, Paulus, Franciscus, etc. qui nunc mundo notiores et honoratiores sunt, quam ullus rex aut imperator. Mundi sectatores, instar parvulorum et illitteratorum sunt, qui libros illos suscipiunt, mirantur, et commendant, quos litterarum picturis et imaginibus exornatos vident. Mundi vero contemptores viris sapientibus et litteratis, qui litterarum ornatum et splendorem externum negligunt ac vix quidem aspiciunt, solam sapientiam in libro traditam quærunt, laudant et extollunt. Quid omnis mundi fastus, nisi picta quædam charta, quam ubi exigua pluvia læserit mox coloribus defluentibus tabescit adeoque vilem efficit, ut eam mox abiciamus? Unde apostolus, I. Cor. VII. mundi splendorem appellavit *figuram: Præterit figura hujus mundi, Græce schema seu species*. Quare ut equum phaleratum empturi non attendimus ad phaleras, sed ad equi corpus et membra: ita ad personatos honores, et larvatas mundi voluptates nequaquam attendendum est. Tolle larvas et intus aspice mundum.

III. Cur reprehendit regulum Dominus: *Nisi signa et prodigia videritis non creditis*, cum ipse signa non petierit, sed filii tantum sanitatem? Resp. primo, ut ostendat regulum et Judæos Samaritanis, qui paulo ante ad nudam ejus prædicationem crediderant, longe inferiores esse. Tametsi ergo regulus non accessit animo tentanti Christum et miraculum impetrandi, crediturus tamen non erat, nisi hoc miraculo Christus filium sanasset.

Secundo, ut vulnus reguli tangat, fidei scilicet imperfectionem, qua Domini præsentiam expe-tebat ad sanandum filium, putans eam necessariam esse. Ut ergo hunc defectum in eo emendaret, voluit absens filium ejus curare, cum protestatione tamen et increpatione aliqua, quod quia non credis me absentem posse filium sanare, debeo tibi, ut video, potentiæ meæ specimen ostendere et absens filio mederi, ut credas me hoc posse, adeoque plusquam hominem esse

Tertio, ut ostendat divites et potentes hujus sæculi difficulter et non nisi increpationibus excitari ad quærendam suam salutem. Quemadmodum enim cervi: *Cum erexere aures acerrimi sunt auditus; cum remisere, surdi* (ait Plinius, lib. VIII. c. XXXII.) ita principes et potentes, si quid est quod placeat, id procul etiam percipiunt; si quid secus, quantumvis clames, non intelligunt. Patet manifeste in regulo isto, qui increpationem Christi: *Nisi signa et prodigia videritis, etc.* surda aure pertransiit, quasi nihil ad se pertineret. At ubi paulo post eundem audiit dicentem: *Vade filius tuus vivit*, statim id arrectis auribus excepit et credidit domumque ad filium contendit. Tales igitur reges quis non vocet regulos, quales describit Jer. c. VIII. *Mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio?*

IV. Cur ad centurionis servum sanandum libuit ire Christo, non ad filium reguli? Resp. primo, quia fides centurionis longe perfectior erat; credidit enim absentem posse sanare; unde ait: *Non sum dignus, ut intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus*. Voluit ergo ad centurionem, ire ut illius fides, humilitas et reverentia hac occasione in exemplum aliorum patefieret. Noluit ire ad reguli filium, sed absentem sanare, ut simul incredulitatem patris sanaret, qui præsentiam hujus medici necessariam putabat, ideoque in Christum saltem ut Deum non credidisset, nisi Christus absens filium curasset. Ita respondet Chrysostomus, hom. XXXIV.

Secundo, ut retunderet nostram superbiam: « Qui in hominibus non naturam, qua ad imaginem Dei facti sunt, sed honores et divitias veneramus, » inquit S. Greg. hom. XXVIII. in ev. ideoque divites et potentes undique præferimus, pauperes postponimus. « Increpata est superbia nostra, subdit Greg. quæ nescit pensare homines propter homines; sola quæ circumstant hominibus, pensat, naturam non aspicit, honorem Dei in hominibus non cognoscit. » Solet mundus negligere pauperes, ideo voluit eos colligere et honorare Dominus. Sed cur ad filiam archisynagogi, qui simili imperfectione petiit: *Veni, impone manum tuam super eam*, voluit descendere? Resp. novisse Christum quid cuique expediret, tametsi nos nesciamus. Fuit sane in archisynagogo major humilitas, major etiam fides; quia putavit et defunctam ab eo resuscitari posse. Forte etiam Dominus voluit honorare dignitatem ejus ecclesiasticam. Certo etiam nobis persuadeamus Deum nobiscum summo jure non agere, sed infirmitati sæpe nostræ sese accommodare.

V. Cur interrogat servos regulus, quando me-

lius habuerit filius? Resp. primo, ut discat utrum sanitas filio a Christi verbo proveniret, an vero aliunde vel casu obtigerit. Prodit ergo hic imperfectionem suam, qua nondum crediderat Christo tamquam auctori sanitatis, sed ut viro sancto vel prophetae fide digno. Postquam ergo intellexit eadem hora convaluisse filiam, qua dixerat Dominus: *Filius tuus vivit*, inde certo colligit filii sanitatem a Christo profectam esse.

Secundo, ut unde benefactorem noscere, laudare, confiteri atque in eum credere queat. Reperiuntur hodie multi, qui tametsi multa acceperunt beneficia, non inquirunt tamen eos, a quibus ea obtinuerunt, vel dissimulant: praesertim cum ab eis digressi sunt; quandoque etiam clam gaudent, cum is longe recedit vel moritur, existimantes se tunc temporis a debito gratitudinis jam liberos et solutos esse. Unde pauci sane reperiuntur grati in defunctos, et quos non facile se visuros sperant. Non ita regulus iste, qui in gratiarum actionem, tametsi a Christo jam digressus, mox reformavit totam domum suam et instituit in fide Christi. Non ita etiam elephas ille, de quo haec Aelianus, l. III. c. XLIV. « Indorum rex ab Indo quodam sibi munere mitti elephantem poposcerat; is cum eum miro amore diligeret, negavit se daturum, ac una cum elephante per fugam in desertissimam regionem. Rex ferens istud aegre, ad eum insequendum misit, qui bestiam Indi auferrent: aggressi igitur, qui missi fuerant, ut comprehenderent, hamo quidem lapidibus eos appetebat, elephantus vero, uti insigni injuria accepta, impetum illorum repellebat; occumbente tandem ictibus altore et ductore suo, elephantus more hominum armis se acerrime tuentium, pro suo nutritio pugnavit, tum etiam ex invadentibus partem occidit, partem in fugam dedit, atque nutritium proboscide circumplexus, ad stabula portavit, ac tamquam amicus permansit fidelis amico etiam defuncto. »

Discite hinc Christiani quid defunctis vestris benefactoribus, parentibus, superioribusque nutritiis praestare obsequii debeatis. Potestis et vos ore vestro per orationem, manu per eleemosynam gestare eos in caelum, si velitis; videte an ad hoc faciendum non magnopere obligemini.

VI. Quid sibi vult haec historia sensu mystico? Resp. primo, sensu allegorico regulus significat Adamum, cujus filius, tota ejus posteritas ob praevaricationem parentum incidit in ardentem febrem, quando concupiscentia dominante lapsa est in gravia scelera. Venit ergo Dei Filius a Judea in Galileam, hoc est, a domo laudis, caelo in domum transmirationis seu terram.

Itaque hora septima filium curavit, quando pro eo in cruce passus est. Hora siquidem diei sexta Dominus crucifixus est, hora septima adhuc in cruce pependit et pro peccatoribus rogavit, necnon latroni paradisum promisit. Exinde credere in Christum mundus cepit, perspecta ejus divinitate in prodigiis tunc editis; ac demum credidit domus tota.

Secundo, sensu tropologico. Regulus iste qui vis nostrum est, qui parvum quoddam regnum in anima, membris et potentiis suis habet. Filius noster est fides, quae per charitatem operatur, prognatus partim a nostro libero arbitrio, velut a matre, partim a Deo excitante et cooperante, velut patre. Hunc filium nisi habuerimus maledictioni subjacebimus, et velut sterilis illa ficus e vinea Domini excidemur atque in ignem mittemur. Magna ergo sollicitudine servandus est hic filius. Verum heu multoties incidit in febrem, cum vel fluctuat, vel ardore vitiorum aestuat. Hinc desipit illi cibis, desipit oratio, Dei verbum, sacramentorum usus, pia lectio, sacra omnia; et inde incipit mori. Quid igitur factu opus? Perge ad medicum animae tuae, Christum, et instanter ora: *Domine, descende, priusquam moriatur filius meus*. Quod si forsitan te mortifero peccato jam enectum sentis, noli desperare; prima solum morte, quae est peccatum, non secunda, quae est gehenna mortuus es, adeoque mori primum coepisti. Adhuc igitur rogare, confiteri peccata et sanari potes. Ut enim qui incidit in flumen non obruitur, quamdiu aqua non accedit ad os, quoniam respirare potest; sin autem aqua attigerit et adimpleverit os, statim obruitur et moritur: sic qui incidit in peccati gurgitem, adhuc spem habet vitae, si os non habet impeditum, si paratus est de sceleribus penitere et confiteri. Sin autem tanta est culparum aqua, ut ei super os ascendat, quo flagitia sua silentio praetereat, nolens confiteri obruitur miser, et ad ima tartarorum descendit. Eam ob causam dicebat regius vates: *Non me demergat tempestas aquae, nec absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum*. Aquis maris obruti sunt Aegyptii, non Judaei; Judaeus enim significat *confitentem*, Aegyptius *turbatum*. Ille eripitur, qui ad veram confugit confessionem; ille perit, qui obstinatione turbatus, peccatorum suorum confessionem contemnit. Itaque memor esto horae septimae, memor passionis Dominicae, quae et paradisum latroni aperuit et omnibus offert veniam. Deinde, vade ad confessarium, spiritualem medicum tuum, et aperi ei morbum animae tuae. Roga ut in domum tuam descendat et per examen conscientiae omnes actus tuos ri-

metur, quo nimirum deprehendat et pellat morbum tuum. Urge et roga instanter. Neque indigneris, si forte et ipse objurgarit te, quia est medicus et iudex tuus, ad extremum te sanaturus et

a peccatis soluturus. O quantum senties gaudium, cum dicentem tibi audies: *Vade, filius tuus vivit*, anima tua sanata est, a peccatis absoluta et libro caeli inscripta.

## AUCTARIUM.

### CONCIO I.

REGULUS PUSILLUS IN FIDE, SPE, ET CHARITATE. Parvus in fide. — II. Parvus in spe. — III. Parvus in charitate.

#### THEMA.

*Erat quidam regulus. Joan. IV.*

Caelius Rhodiginus, l. XXIV. c. VI. refert de Regilliano quodam in Illyria militum duce, contigisse, ut apud eum coenarent milites. Adfuit autem et Valerius tribunus, a quo illata quaestio, undenam crederetur Regilliani nomen productum. Aderat forte scholasticus, qui grammatico more inflectere orsus est: *Rex regis regi, unde Regillianus*. Succlamatum continuo a militibus: *Rex ergo esse potest! Et regere igitur nos potest! Et a Deo inditum hoc nomen!* Quid amplius? Dum postridie publico se commisisset, a principibus imperator est consalutatus. Habemus et nos, auditores, in hodierno evangelio regulum, seu Regillianum, parvum scilicet regem, sed a rege et regendo denominatum. Rex igitur esse poterat, et sane evasit, ubi fide, spe et charitate crevit, et Christianus factus, domum suam totam ad fidem Christi adduxit. Timeo ne quam plurimi reguli adhuc simus, pusilli in virtutibus. Sed non despondeamus animos: reges fieri possumus, si evacuemus quae sunt parvuli. Itaque et reguli hujus et nostram parvitatem consideremus.

Parvus statura miles parvas habet ocreas, parvum sagum, parvum clypeum, parvum gladium, parvam galeam, parvam loriam. Sic etiam noster regulus, antequam rex fieret, parvum habuit fidei scutum, parvam spei galeam, parvam charitatis loriam.

I. Exiguum habuit fidei scutum (sic appellatur fides ab apostolo ad Ephes. VI. *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere*). Oculum sinistram tegit scutum, dextro locum dat: sic et fides oculum naturalis prudentiae, qui humana ratione fulcitur, velat: ei, qui divina auctoritate nititur, locum dat. Scutum hoc in regulo parvum et infirmum fuit. Primo, quia non nisi viso

Christi miraculo crediturus erat, ut indicat ei Dominus verbis illis: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis*. Videtur enim arguere illum exemplo Samaritanorum civitatis Sichar, a qua paulo ante discesserat. Illi enim cum essent semigentiles, sola Christi doctrina contenti, nullo viso miraculo, in eum crediderunt: at regulus hic (ut colligunt Maldonatus et Jansenius ex ejus modica fide et reprehensione) Judaeus erat, nec tamen crediturus nisi per signa erat. Deinde, non dubitandum, audisse eum in Capharnaum, unde venerat, multa de miraculis Christi ibi jam et alibi patris: ea tamen fama non contentus, aliud requisivit miraculum, aliudque coram videre voluit. Reprehenduntur ergo hic in regulo Christiani. Primo, illi, qui non contenti iis quae cotidie audiunt et legunt, miraculis et magnalibus Dei, nova requirunt, eaque non tam credere quam coram aspicere volunt; similes Phariseis, qui post tanta Christi miracula dicebant: *Magister volumus a te signum videre*. Quibus respondet Christus: *Generatio mala et adultera signum quaerit; et signum non dabitur ei, nisi signum Jonae prophetae*, Matth. XII. *Adulteri* appellantur isti, quia a majorum, qui istis signis fidelissime crediderunt, vestigiis et fide recedunt: condemnandi aliquando a Ninivitis et majoribus suis, necnon a civibus Sichar, qui sine miraculis crediderunt: *mali*, quia etiam signa alia eluderent ac riderent, si darentur illis; ut qui Christi resurrectionem eludere conati sunt. Secundo, illi qui servare ea detrectant, quae aliqui non Christiani vel acatholici servant, v. g. Turcae, qui Mahometis legem mordicus observant, jejunia sua colunt, mensae orationes longas praemittunt, a vino abstinent: similiter Judaei, qui ritus suos pertinaciter retinent, pauperes suos alunt nec mendicare patiuntur, sabbatum stricte servant: rursus Anabaptistae, qui injurias patienter ferunt, juramenta vana cavent, etc. denique, agricolae et mendici, qui Deo pro exiguis bonis pie serviunt et gratias agunt, cum non faciant hoc nobiles et divites. S. Antonius per desertum iter faciens, obviam habuit Faunum seu Satyrum, quem cum audisset de Christo loquentem,